

halb Schenkenschans, erwähnt bei Sloet II, nr. 769 und vielleicht auch bei van den Bergh I, nr. 141. Herr Muller bemerkt weiter, dass die praebenda imperialis im Marienstifte bekannt sei. Dass auch die Erzbischöfe von Trier seit Hillin eine Pfründe in diesem Stifte inne hatten, zeigt eine Urkunde des Erzbischofs Johann von 1200, welche ich aus dem Hamburger Chartular in der Westdeutschen Zeitschrift 1888, Heft 1, veröffentlicht habe.

1287.
Febr. 23. Universis presentes litteras visuris Adolphus dei gracia maior prepositus Traiectensis et officialis curie Traiectensis notum facimus quod nos litteras infra scriptas et sigillo illustris principis Rodolphi Romanorum regis signatas non abolitas nec cancellatas nec in aliqua sui parte viciatas vidimus in hec verba:

1286.
Aug. 21. Rudolphus dei gracia Romanorum rex semper augustus omnibus in perpetuum. Regalis honoris sublimitas eminenti decore prefulget tantoque attollitur alcius et sublimius elevatur, quanto favorabilius subditorum intendit profectibus et ipsis de regia liberalitate confirmat que rite sibi a suis predecessoribus sunt collata. Noverint igitur universi tam posteri quam presentes, quod honorabiles viri decanus et capitulum ecclesie sancte Marie Traiectensis Inferioris quoddam privilegium ipsis et ecclesie sue ab inclite recordationis Frederico imperatore predecessore nostro concessum nostre celsitudini exhibentes petiverunt instantius, ut ipsum privilegium et in eo contenta confirmare de benignitate regia dignaremur. Cuius quidem privilegii tenor est talis:

(1173?)
Dec. 3. Fredericus dei gratia Romanorum imperator et semper augustus omnibus imperii fidelibus ad quos presens pagina pervenerit gratiam suam et omne bonum. Ad imperatorie quidem dignitatis officium pertinet omnia ecclesiarum bona conservare et ab iniquorum importunitatibus imperiali auctoritate defensare. Specialiter tamen illarum defensioni convenit intendere quarum orationum cottidie participes sumus et stipendiorum fructus canonica societate percipimus. Cum igitur ecclesie beate Marie in Traiecto ex canonica fraternitate ad rerum suarum conservationem debeamus adesse, volumus, ut debemus, res eius et iura in sua libertate imperiali auctoritate conservare. Audientes itaque gravem et necessariam querimoniam canonicorum predictae ecclesie, eo quod in villa Bethendorp intollerabiles rerum suarum invasiones sustineant, imperiali auctoritate prohibemus, ne aliqua omnino persona humilis aut alta, secularis aut ecclesiastica canonicis sancte Marie in predictae ville bonis dampnum aut gravamen de cetero inferre presumat. Nulli enim penitus persone ius aliquod advocati in bonis predictis recognoscimus, sed nos ea in nostro specialiter patrocinio et tuicione tenemus et in eadem volumus